446

F

117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

KW 1146 f 117
301. 11

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE IMPUBERUM,

QUAM,
Duce & Auſpice Deo Optimo Maximo,
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI,
D. CORNELII van ECK,
J. U. D. Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri hac Academiâ Profeſſoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit
ADRIANUS JACOBUS van BORSSELE
Vander HOOGHE,
Auctor & Reſpondens.

A. d. Aprilis, horâ locoque ſolitis.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Ordd. Friſiæ atque eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCLXXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Nobiliſſimo & generoſiſſimo

DOMINO,

D: ADRIANO van BORSSELE Vander HOOGHE,

Domino in Voorhoute; Illuſtrium & Præpotentium Zelandiæ Ordinum nomine in Senatu ſupremo Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque Occidentalis Senatori prudentiſſimo, æquiſſimo; Parenti ſuo omni amore & obſervantiâ ſemper colendo.

NEC NON

Ampliſſimo, Clariſſimis, & Celeberrimis viris.

D. ULRICO HUBERO,

J. U. D. Supremæ Friſiorum Curiæ Exſenatori, & Juriſconſulto Excellentiſſimo.

D. CORNELIO Van ECK,

J. U. D. ejuſdemque facultatis in hac Academia Profeſſori Ordinario, Præſidi honorando.

Præceptoribus de ſe ſtudiiſque ſuis optimè meritis, propterea dignâ reverentiâ ſemper obſervandis.

haſce ſtudiorum ſuorum primitias

Devotiſſimo pectore

D. D. D.

AUCTOR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE IMPUBERUM.

IN jure Romano, quod quantâ ſapientiâ, quantâ ſanctitate ſit conſtitutum, ac redditum, neminem fugere poteſt, tot egregiæ ſe produnt materiæ; ut, cum me ad diſputationem conſcribendam accingerem, copia earum judicium meum diu ſit morata. Donec attentius conſideranti viſum ſit, prudentiam eorum vel maximè elucere in eo, quod tam benè caverint iis, qui ob defectum ingenii rebus ſuis ſine maximo earum detrimento ſupereſſe non poſſent. Inter hos principem videntur obtinere locum *Impuberes*, eorum enim cum vel *omnino nullum ſit animi judicium* §. 2. *I. qui teſt fac. poſſ.* vel ſaltem *valde fragile & multis captionibus obnoxium l.* 1. *D. d. minor.* ipſorum in favorem multa ſunt conſtituta, quæ paſſim in toto jure haud pœnitendos habent effectus. Unde hæc materia mihi non indigna viſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

in quâ explicandâ & ordine proponendâ (quantum pro ingenii & ſtudiorum meorum modulo licebit) operam navarem, ejuſque effectus præcipuos colligerem, & eorum quantum quiſque valeat, quamque ſit juſtus viderem.

CAPUT I.

I. IMpubes itaque eſt puer ante decimum quartum annum, & puella ante duodecimum completum, ut ex *pr. I. quib. mod. fin. tut* & *l. ult. C. quand. deſin. tut.* liquet, & hoc ipſum eſt, quod Macrobius *in ſomn. Scip. lib.* I. *cap.* VI. his verbis innuit: *poſt annos autem bis ſeptem ipſa ætatis neceſſitas pubeſcit. tunc enim incipit vis generationis in maſculis & purgatio feminarum. ideo & tutelâ quaſi virile jam robur abſolvitur, de qua tamen feminæ propter votorum feſtinationem maturius biennio liberantur.*

II. Etymon nominis quod attinet, ſatis apparet eſſe compoſitum ex *in* pro *non* & *pubes*: quæ vox mihi videtur derivari à Græco βȣβὼν, quod *inguen* denotat, & præterea pro tumore ejus ſumitur: alii aliunde derivant; verum, quia hoc à noſtro inſtituto eſt alienum, hanc litem noſtram non facimus.

III. Variis nominibus *Impuberes* in jure noſtro & alibi occurrunt. I. Ætas eorum vocatur *prima ætas*, in *l. penult. C. d. impub. ſubſtit. l. ult.*

ult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

ult. §. 1. & 3. *C. d. bon. quæ liber.* Quintilianus in *proëm. Inſt. Orat.* reſpectu ſc. ſecundæ ætatis, quæ currit uſque ad viceſimum quintum annum *dd. ll.*, quæ vulgò dicitur minor ætas *tit. ff. d. minor.* 2. Vocantur quoque *Minores l.* 2. *quand. mul. tut. off. fung.* & *rubr. ff. quand. ex fact. tut. vel cur. minor. ager.* &c. plura loca vide apud Wiſſenbach. *ad ff. parte* 1. *Diſp.* 51. *cap.* 16. 3. Dicitur *pupillaris ætas*, licet pater eorum ſit in vivis *l. ult.* §. 2. *d. Verb. obl.* Sueton. *in Aug. cap.* 66. 4. Vocatur *puerilis ætas l. ult.* §. 6. *C. d. bon. quæ lib. l.* 36. *ff. d. ſtatulib. l.* 1. *pr. ff. ubi pup. educ.* Sueton. in Claud. *cap.* 2. ſic quoque Martial. *lib.* VII. *Epigr.* 52.

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura dolorque ſui.
Vix tangente vagos ferro reſecare capillos
Doctus, & hirſutas excoluiſſe genas.

5. vocantur *parvuli* in *l.* 2. *C. quand. mul. tut. off.* &c. licet hi aliquando ſumantur pro iis, qui ſunt in ſecundâ ætate *l.* 2. *C. de fund. patrimor.*

IV. Impuberum quoque duo ſunt gradus, ſunt enim vel infantes, vel infantiâ majores. §. 10. J. d. *inutil. ſtip. l.* 14. *ff. d. ſponſal* & *l.* 18. *pr. C. d. jur. delib.* Sic etiam Martial. *lib.* IX. *Epigr.* 76.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Servat, & infantis prima figura manet.

infantes ſunt, qui ſunt minores ſeptem annis, ut ex *d. ll.* manifeſtum eſt, ita dicti quod nondum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

loquantur *l.* 8. *C. qui admit. ad bon. poſſ. &c.* non quaſi nulla omninò verba proferant, ſed quia nullas diſtinctas & ordinatas cogitationes habeant, adeoque nihil diſtinctè poſſint effari; ſed ut Minutius Felix in Octavio ait: *offenſantis linguæ fragmine dimidiata verba tentent*, & præterea, ut Macrobius loco ſupra laudato dicit: *poſt annos ſeptem dentes, qui primi emerſerant, aliis aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedunt: eodemque anno, id eſt ſeptimo, plene abſolvitur integritas loquendi*. Adde Quintil: Inſt. Orat. *lib.* 1. *cap.* 1.

V. Ex his facilè colligi poteſt, quinam ſint infantiâ majores; verum majorem nobis offundit difficultatem Imperator in §. 9. *I. d. inut. ſtip.* §. *pen. I. d. oblig. q. ex del.* & Ictus Gajus in *l.* 111. *ff. d. R. I.* ſc. dividentes hanc poſteriorem ætatem in infantiæ proximam, & pubertati proximam, nec tamen dd. locis nec alibi harum ætatum terminos definientes: hinc factum, ut in hoc termino ponendo valde diſſentiant interpretes, quorum diverſas opiniones vide apud Vinnium ad §. 9. *d. inutil. ſtip.* Veriſſima in hac re incertâ & dubiâ nobis videtur ſententia Accurſii, quem plerique recentiores ſequuntur, dividentis totum illud tempus, quod infantiam ſequitur uſque ad pubertatem in duas æquales partes, & prius infantiæ, poſterius pubertati proximum facientis. Adeoque pupillus infantiæ proximus conſiſtit intra annum decimum & dimidium

dium, & qui hunc egreſſus eſt, ſit proximus pubertati: puella infantiæ proxima erit, quæ infantiam egreſſa nondum complevit nonum & dimidium, hunc egreſſa proxima pubertati dicetur.

VI. Atque ita haud dubie habendum de tempore proximo infantiæ & pubertati, quod minus difficultatis habet jure novo, quo Juſtinianus tempus pubertatis certis terminis circumſcripſit *pr. I. quib. mod. tut. & l. ult. C. quand. tut. vel cur.* diſcrepantibus autem in re tam aperta Interpp. opinionibus cauſam dediſſe videri poſſunt Jctorum in Digeſtis Reſponſa, ex quibus colligi poteſt jure antiquisſimo non ita certum fuiſſe pubertatis tempus.

Pro diverſitate harum ætatum diverſo jure gaudent impuberes, ut ex locis citatis aliquo modo colligi poteſt, & ex ſequentibus manifeſtius apparebit.

CAPUT II.

EXplicatis Impuberum diverſis ætatibus ratio ordinis videtur exigere, ut effectus eorum proponam. Et quidem hoc capite diſpiciemus aliquos modos, quibus patria poteſtas (quæ regulariter quidem mortè ut ultimâ lineâ rerum finitur *pr. I. quib. mod. patr. pot. ſolv*). poſt mortem haud levis momenti effectus in impuberibus relinquit.

I. Huc primo loco referrimus pupillarem ſubſti-

ſtitutionem, quæ eſt: qua pater liberis ſuis impuberibus, in poteſtate ſua & tempore teſtamenmenti facti & tempore mortis conſtitutis, ſcribit heredem, ſi ante pubertatem moriantur; ut ex *pr. I. d. pup. ſubſt.* & *l.* 2. *pr. ff. d. vulg.* & *pup. ſubſt.* colligi poteſt.

Hanc ſubſtitutionem fieri jure patriæ poteſtatis, non vi inſtitutionis, apparet 1 ex eo, quod pater etiam filio exheredato ſubſtituere poſſit §. 4. *I. d. t.* & *l.* 1. §. 2. *l.* 10. §. 5. *ff. eod.* 2. quia non emancipato, ſed ei, qui eſt in poteſtate, a patre ſubſtituitur; ut eſt planum ex *dd. ll.* & *l.* 8. *l.* 41. §. 2. *ff. d. vulg.* & *pup. ſubſt.* multo minus hæc ſubſtitutio poteſt fieri a matre vel extraneo §. *ult. I. d. t.* Nec in re tam certâ nos vadimonium deſerere coget Africanus in *l.* 33. *d. vulg.* & *pup. ſubſt.* nam in ea mater filio ſuo ſub conditione, ſi pubes factus ſit, heredi inſtituto vulgariter ſubſtituit, ut docent verba, *ſi heres non erit.* licet ICtus hic improprie tale teſtamentum vocet *tabulas pupillares*, ut recte docet Cujac. ad *African. lib.* 2. & Perez. ad *tit. C. d. impub.* & *al. ſubſt. n.* 10.

Quod autem diximus, utroque tempore patriam poteſtatem requiri, apparet ex eo, quod cum qualitas aliqua requiritur ad conſtitutionem alicujus actus, ea ineſſe debet tempore quo actus geritur *l.* 49. §. 1. *d. hered. inſt.* §. 4. *I. d. hered. qual.* & *diff.* & *l.* 41. §. 2. *d. vulg.* & *pupill. ſubſtit.*

Alterum, quod hic erat probandum, eſt quod hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

hæc ſubſtitutio ultra tempus pubertatis non valeat; hoc apparet ex inſpectis *pr.* §. 4. & 8. *I. d. t.* adeo ut ſi longius tempus comprehenſum ſit, id poſt pubertatem ipſo jure evaneſcat, *d.* & 8. & *l.* 7 &. 14. *ff. d. t.* poteſt quidem pater fideicommiſſo poſt pubertatem heredem filio ſuo ſufficere, ſalva tamen ipſi Trebellianica & bonis adventitiis, & hoc improprie a ICto in *l.* 41. §. 3. *ff. d. t.* ſic etiam in *l.* 64. *d. legat.* 2. vocatur pupillaris ſubſtitutio, licet ab eâ toto cœlo differat.

Hæc autem, quæ dicta ſunt, patiuntur exceptionem in milite, in cujus favorem præter alia multa, etiam hoc eſt introductum, ut liberis emancipatis & poſt pubertatem ſubſtituere poſſit; ſc. quod ad ea bona, quæ ab ipſo ſunt profecta cum fructibus *l.* 15. *ff. h. t.* & *l.* 8. *C. eod. l.* 5. & *l.* 41. §. 4. *ff. d. teſtam. milit.*

II. Non poteſt facere teſtamentum §. 1. *I. quib. perm. eſt. teſt. fac. pr. I. d. ſubſt. pup. l.* 5. *ff. qui teſt. fac. l.* 1. §. 8. *d. bon. poſſ. ſec. ab.* & *l.* 10. §. 1. *d. capt.* & *poſtl. rev.* rationem dat Imp. in *d.* §. 1. *quia nullum eorum eſt animi judicium.* (cave tamen hoc ultra præſens negotium ad alia extendas arg. *l.* 1. §. 6. *ne vis fiat ei qui in poſſ*) quæ ratio ita fortis eſt, ut licet eſſet impubes ſatis validi judicii, tamen prohiberetur *dd. ll.* eſtque adeo præſumptio juris & de jure (ut loquuntur DD) Nec quidem auctore tutore poteſt, ſicut ipſius auctoritate poteſt hereditatem adire

 & alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

& alia negotia ſacere; ratio eſt, quia tunc evaneſceret ſubſtitutio *d. pr.* præterea tutores aliarum rerum rationem reddere debent, hujus non poſſent. Denique tutores, ſi hac poteſtate eſſent præditi, id operam darent, ut ipſi, vel ſaltem tales, a quibus lucrum ſperarent, heredes inſtituerentur.

Tamen ob militum privilegia, olim Tribunis militum licet Impuberibus facultas teſtamenti condendi fuit conceſſa, quam Imperator Juſtinianus in *l. ult. C. d. milit. teſt.* ademit. Similiter a Conſtantino magno iis, qui Monaſticam eligerent vitam, licet impuberibus ea facultas fuit data, teſte Sozomeno *lib.* 1. *cap.* 9. quam ipſis negavit Imp. Leo in Nov. VI.

III. Huc pertinet tutoris datio, quæ ſive teſtamentaria, ſive legitima, ſive dativa tantum locum & effectum habet deficiente patriâ poteſtate: inter has ſpecies primo loco venit teſtamentariâ, qua deficiente reliquæ veniunt in ſubſidium *l.* 11. *pr. d. teſtamen. tut.* in hac etiam maximè conſpiciendam ſe præbet patria poteſtas, quia ea tantum datur iis, qui ſunt in poteſtate §. 3. *I. d. tutel. l.* 1. *ff. d. teſtam. tut.* Adeo ut pater etiam exheredatis tutorem dare poſſit *l.* 4. *l.* 10. §. 2. *l.* 31. *ff. d. t.* nec obſtant *l.* 73. *d. R. I. l.* 53. *d. V. S.* & *l.* 26. *d. teſt. tut.* ad quas vide reſpons. à Dn. Wiſſenbach. *ad ff. diſp.* 50. *thes.* 7. & *ad Inſt. diſp.* VII. *thes.* 7. Si verò pater liberis emanci-

patis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

patis det tutorem, eum non jure dat; quod liquet ex eo, quod debeat confirmari, non confirmantur autem niſi ii, qui non jure ſunt dati §. 4. *I. d. tutel. l.* 1. §. 1. *ff. d. confirm. tut:* hoc modo mater quoque quidem dare poteſt tutorem *l.* 1. *d. t.* cum hac tamen differentiâ, ut is, qui a parte eſt datus ſine, qui a matre cum inquiſitione demum confirmetur. *d.* §. 4. & *l.* 2. *d. t.*

IV. Ob cauſas jam enarratas olim Impuberes non poterant arrogari, ut argumentatur Ulpianus in *l.* 17. §. 1. *ff. d. adopt. ſc. ne eſſet in poteſtate tutorum finire tutelam, & ſuſtitutionem a parente factam extinguere.* & hoc Agell. *Noct. Attic. lib.* 5. *cap.* 19. verb. *neque enim pupillus neque mulier, quæ in parentis poteſtate non eſt, arrogari poſſunt. quoniam & cum feminis nulla Comitiorum communio eſt, & tutoribus in pupillos tantam eſſe autoritatem fas non eſt, ut caput liberum fidei ſuæ commiſſum alienæ ditioni ſubjiciant.* Poſtea ex conſtitutione Divi Antonini poterant quidem arrogari, Ulpian. in fragm. *Tit.* VIII. §. 5. ſed tamen cauſa prius cognitâ, *ne qua calumnia, nequa fraus, ne quis dolus adhibeatur*: in hanc cognitionem quoque veniebat, ne arrogatores tales ſint, qui pudicitiæ impuberum inſidiari poſſint. arg. *l.* 5. *ff. ubi pupill. educ. &c.* & iis tantum modo permittebatur eos arrogare, qui ducti erant vel naturali, cognatione, vel ſanctiſſimâ affectione *d. l.* 17. *d.*

adopt. Præterea debebat arrogator cavere, ſi intra pubertatem pupillus deceſſerit, reſtituturum ſe bona illis, qui, ſi adoptio facta non eſſet, ad ſucceſſionem ejus venturi eſſent §. 3. *I. d. adopt.* & *l.* 18. *ff. eod.*

CAPUT III.

PRoximo capite vidimus effectus patriæ poteſtatis poſt mortem ipſius: nunc hoc capite diſpiciamus An & quomodo pupillus ſuas res gerat. 2. Quatenus eo facto alios ſibi obliget. & acquirat. 3. Quomodo ipſe viciſſim obligetur.

I. Primum quod attinet; Infans in iis, quæ animi affectu geruntur, non multum differt a furioſo. §. 10. *I. d. inutil. ſtip.* hinc eſt, quod nec tutore auctore quicquam agere poſſit; verum is pro eo omnia agit *l.* 1. §. 2. *ff. d. admin. tut. l.* 18. *C. jur. deliber.* ubi infantia non facultate loquendi ſed annis æſtimatur, quod fit paſſim in jure noſtro, ut in *l.* 14. *de ſponſal.* & ſic accipe ll. ſimpliciter loquentes de iis, qui fari poſſunt. huic non leviter obſtare videtur *l.* 1. §. 13. *ff. d. Obl. & act.* verum facilis ad eam eſt reſponſio, ſi jungatur cum *d.* §. 10. *d. inſt. ſtip.* tunc enim manifeſtò apparet, eam legem loqui de infantiæ proximo. ſic etiam reſpondemus ad *l.* 9. *d. acquir. vel omit. hered.* diſſ. Montanus in *tractat. de tut. & cur. cap.* 30.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Pubertati proximi, quod & benignior juris interpretatio in infantiæ proximis recepit *d.* §. 10., ipſi poterant agere ſc. adhibitâ auctoritate tutoris, quæ ſtatim ab ipſo tutore præſente non per epiſtolam, & purè non ſub conditione debebat adhiberi §. 2. *I. l.* 8. & 9. §. 5. *ff d. auct. tut.* hæc tamen auctoritas non uſque quaque eſt neceſſaria: neceſſaria eſt, quoties periculum ſubeſt, ne pupillus conditionem ſuam faciat deteriorem; ſi nihil tale ſit, non eſt neceſſaria *pr. I. d. t.*

II. Hinc pupillus infantiâ major poteſt ſtipulari *l.* 9. *d.t.* donationem acceptare *l.* 2. *d. acceptil.* & titulo lucrativo acquirere *l.* 11. *de. A. R. D.* In contractu ultro citroque obligatorio, licet ipſe civiliter non obligetur, eum, qui ſecum contraxit, plenè & efficacisſimè obligat *pr. I. d. auct. tut.* adeoque ex uno latere dicitur hic contractus *l.* 13. §. 29. *ff. d. act. empt.* quia is habet, quod temeritati ſuæ imputet, quod cum pupillo contraxerit arg. *l.* 19. *ff. d. R. I:* quod tamen cave, ita accipias: quaſi pupillus ex. gr. in contractu emptionis poſſet mercem accipere, & ipſe tunc vicè verſâ non teneretur ad dandum alteri pretium, quod pugnaret cum regula *l.* 57. *l.* 206. *d. R. I. l.* 14. *d. condict. indeb.* & *l.* 4. §. 4. *d. except. dol:* & *l. pen. ff. d. reb. eor. qui ſub. tut. vel cur.* verum ita, ut, ſi pupillus in cujus gratiam nullitas eſt introducta, contractum valere poſtea velit, alter non poſſit excipere contractum eſſe ipſo jure nullum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Denique ſi pupillus rem ſine tutoris auctoritate emptam & acceptam malè conſumſerit & per luxum prodegerit, vel vi aut furto amiſerit, nihilque adeo inde lucri aut compendii fecerit; ut venditor, quive alio titulo tradidit, rem ejuſve pretium aut æſtimationem repetere nequeat, arg. §. *ult. in fin. I. quib. al. licet vel non.*

Ex iis, quæ de infantibus ſunt dicta, facilè apparebit, eos nec alios ſibi obligare, nec ſibi acquirere poſſe: illud tamen utilitatis causâ receptum eſt, ut infans tutore auctore poſſit incipere poſſidere, judiciumque infantis in re, quæ facti magis, quam juris eſt, ſuppleatur auctoritate tutoris *l.* 1. §. 3. *l.* 32. §. *ult. ff.* & *l.* 3. *C. d. acquir. poſſ.*

Illud tamen quod proximè explicitum eſt: ſc. lucroſam acquiſitionem a pupillo ſine tutore poſſe fieri, patitur exceptionem in acquirendâ hereditate §. 2. *I. d. Auct. tut. l.* 9. §. 3. *ff eod.* & *l.* 49. *d. acquir. hered.* ratio eſt; ne pupillus in damnum incidat *d.* §. 2. imo licet eſſet lucroſa, tamen non poteſt eam ſolus acquirere; 1. quia non eſt puerilis judicii hoc dijudicare ob grande æs alienum ſæpe emergens. 2. quia hereditatis aditio eſt factum, ex quo naſcitur obligatio §. 5. *I. d. qu. contr.* impubes verò ex facto ſuo obligari nequit *l.* 8. *d. acquir. hered.* Hæc ita ſunt in extraneis non verò in ſuis heredibus, in quos ſtatim morte parentis dominium quaſi continuatur *d. l.* 8. *pr.* & §. 3. *I. d. hered. quæ ab inteſt.*

An

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

III. An pupillus ſine tutore contrahens obligetur & quatenus, eſt quæſtio non valde aperta & ſatis controverſa, quæ Doctores in diverſa planè traxit, adeo ut huc ferè quot DD. capita tot ſint ſenſus. Huc facit, quod Icti in Digeſtis ſibi parum conſtare videntur. hunc nodum ſine ope diſtinctionis ſolvere poſſe non videmur. Cum igitur tenera ætas impedit conſenſum, natura docet eos ne quidem naturaliter poſſe obligari; quales ſunt infantes. Contra ſi ætas conſenſum non impediat, ut ſunt infantiâ majores, tam pubertati, quam infantiæ proximi (hi enim eodem jure gaudent, quo pubertati proximi *d.* §. 10. *I. d. inut. ſtip. l.* 5. *d. R. I.* & alibi) videtur dicendum obligari eos naturaliter, ſive locupletiores facti ſive non; nam nihil eſt tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, ſervari *l.* 1. *ff. d. pact.* & hoc eſt quod Icti expreſſe affirmant in *l.* 25. §. 1. *ff. quand. dies. legat. ced. l.* 95. §. 1. *d. ſolut.* & *l.* 21. *pr. ad l. Falcid.* Verum quia civiliter non obligantur, adeoque hæc obligatio nullos habeat effectus; hinc eſt, quod Icti non uno in loco negent ipſam naturalem obligationem, ut in *l.* 59. *d. obl.* & *act. l.* 41. *d. condit. indeb.* neque enim infrequens eſt Ictis negare, exiſtere id, quod non habet effectum; exempla poſſunt videri in §. 2. *I.* juncta *l.* 41. §. 1. *ff. d. verb. obl* & præterea in *l.* 5. §. 1. *quan. dies leg. ced.* juncta *l.* 86. §. 2. *d. legat.* 1.

Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Ex *dd. ll.* 58. & 41. non benè intellectis DD. quidam perperam collegerunt, pupillos non niſi locupletiores factos obligari, moti inſuper per *l.* 13. & 14. *cond. indeb.* verum hæ *ll.* eorum non firmant opinionem, ſed utroque caſu, ſive locupletiores ſint facti, ſive non, naturaliter obligantur: differentia tamen haud ſpernenda repperitur inter has obligationes: nam ſi ſit factus locupletior, non manet intra naturalis obligationis terminos, ſed inſuper fit civilis ex conſtitutione D. Pii: adeo, ut non tantum contra condicentem exceptio ſed utilis præterea actio detur *l.* 3. *pr. commod.*

Altero caſu eſt pura & in efficax reſpectu ipſius pupilli, adeo ut nulla actione conveniri, aut condicens nulla exceptione repelli poſſit, ut ex *ll.* modo allegatis & *l.* 16. *d. minor.* liquet. Non tamen hæc obligatio ita planè eſt inefficax, ut reſpectu aliorum non aliquos habeat effectus: nam & novatio per hanc fieri poteſt *l.* 1. *in fin. ff. novat* & fidejuſſor ei accedens obligatur efficaciter *l.* 127. *d. verb. obl.* nec obſtat *l.* 8. §. 7. *d. fidejuſſ.* utpote: cum hic non durius, ſed tantum efficacivs obligetur.

Regula hæc: quod pupillus ſine tutore, non locupletior factus, non obligetur civiliter, limitatur in *l.* 46. *d. obl.* & *act.* Sc. quoties obligatio venit ex re: id eſt, quando non ex facto ſuo, ſed ex ipſo negotio ſine ulla conventione obligatur:

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

ut ex quaſi contractu, niſi is ſit talis, ut a facto pupilli pendeat, qualis eſt aditio hereditatis, de qua ſupra.

CAPUT IV.

DE obligatione in capite præcedenti ſatis ſuperque cum ſit actum: nunc nobis alia impuberum peculiaria jura ſuperſunt inquirenda.

I. Non poteſt nuptias contrahere *pr. I. d. nupt. l. 4. ff. eod. l. 10. ff. d. Cond. & dem.* teſtis etiam hac in re eſt Horus apud Macrob. Saturnal. *lib.* VII. *cap.* 7. *Nec hoc tacebo*, inquit, *quod cum calor ſemper generationis cauſa ſit, feminæ ideo celerius fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius; nam & ſecundum jura publica duodecimus annus in femina, & quartus decimus in puero definit pubertatis ætatem.*

In ſponſalibus vero contrahendis ætas certa definita non eſt; ideo ab omnibus, qui modo conſenſum adhibere poſſunt, id eſt, majoribus infantiâ fieri poſſunt *l. 4. l. 11. & 14. d. ſponſal.* quod tamen antiquis temporibus per legem Papiam Poppæam non licebat: nam ſponſalia tunc biennium tantum nuptias præcedere poterant, indice Suetonio in vita Auguſti *cap.* 34. *cumque immaturitate ſponſarum. & matrimoniorum crebrâ mutatione, vim legis eludi ſentiret, tempus* ſponſas habendi coarctavit. Manifeſtius hoc apparerebit

rebit ex Dione *lib.* 54. *ſtatuit nullam ſponſionem firmam eſſe, poſtquam biennio ex acto nuptiæ non ſequerentur, hoc eſt, ut omnino decennem deſpondere opus eſſet, ſi quis ſponſionis ejus vellet fructum. Puellis enim duodecimus annus plenus ad nuptias definita ætas cenſetur.* & huc procul omni dubio quoque reſpexit Jctus Gajus in *l.* 19. *d. ſponſal.*

II. Cn. Carbo Prætor etiam in ipſorum favorem Edictum promulgavit, quo iis ſuccurritur, ſi teſtamento patris præteriti ſint, & ipſis quæſtio ſtatus aut natalium moveatur, adeoque de bonis paternis ſit controverſia; nam interim dum ad pubertatem perueniant, datur eis bonorum poſſeſſio *l.* 1. *pr.* & §. 1. & *ſeqq. l.* 5. *pr.* & §. *ſeqq. d. Carbon. edict.* & controverſia differtur uſque ad tempus pubertatis *dd. ll.* ita tamen, ut caveat pupillus de reſtituendis bonis hereditariis, ſi ex poſt facto appareat, legitimum non eſſe *l.* 1. *C. eod.* tunc interim ut dominus hereditate ea utitur *l.* 2. *C. d. t.* & ſive caverit, ſive non caverit, ſemper ex ea eſt alendus *l.* 6. §. 5. *ff. eod.* Si autem non caveat, adverſarius ſimul cum pupillo mittitur in poſſeſſionem, ſi modo ipſe caverit *l.* 5. §. 2. *l.* 6. §. 4. *ff. d. t.* ſi nemo cavet, dabitur curator *d. l.* 5. §. 2. & *l.* 1. §. *ult. d. muner. & honor.*

Hoc, quod prætor de bonis paternis tantum conſtituit, a prudentibus etiam ad bona materna & fratrum eſt extenſum *l.* 6. §. 1.

Ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Ne tamen id, quod in favorem horum eſt inventum, cedat in ipſorum detrimentum, conſtitutum eſt, ut ſi expediat ipſis, controverſiam ſtatim moveri, id fiat *l.* 3. §. 5. *d. t.*

III. Cum crimen & delictum animo & affectu contrahatur §. *pen. I. d. obl. ex delict. l.* 3. §. 1. *ff. d. injur.* hinc facilè colligi poteſt, non contrahere delictum eos, qui vix culpæ ſunt capaces, cujuſmodi ſunt infantes & infantiæ proximi *arg.* §. 10. *I. d. inutil. ſtip.* §. *pen. I. d. obl. q. ex del. l.* 111. *d. R. I. l.* 13. §. 1. *d. dol. mal. l. pen. fin. d. fideic. libert.* & hoc confirmatur a Modeſtino in *l.* 12. *ad l. Corn. d. ſicar.* & ab Ulp. in *l.* 23. *d. furt.* ita etiam Lucanus in lib. 11.

Crimine quo parvi cædem potuere mereri.

Scriptum eſt quidem in aliquibus locis generaliter, impuberem non incidere in crimen *l.* 23. §. 2. *d. Ædil. Edict. l.* 22. *pr. ad l. Corn. d. falſ. l.* 1. *C. d. falſ. monet.* Verum hæc cum grano ſalis ſunt accipienda, & intelligenda de adhuc valde impuberibus, quales jam diximus; immo verò quibuſdam veterum viſum fuit etiam hos potuiſſe obligari, ſi ex genere delicti & circumſtantiis cognoſci poſſet, eos doli fuiſſe capaces *d. l.* 23. *d. furt. l.* 5. §. *pen. ad l. Aquil.* ſic etiam Agell. *lib.* XI. *cap.* 18. ait: Decemviros in XII. Tabb. voluiſſe: *pueros impuberes* (ſc. furti reos) *prætoris arbitratu verberari, noxiamque ab his factam ſarciri.* Ubi indiſtinctè de impuberibus loquitur. Sic etiam videmus

muſ à Deo punitos parvos pueros ob irriſum Prophetam 2 *Reg. cap.* 2. *verſ.* 23. & 24. verum cave hæc indiſtinctè aliis, qui doli capaces eſſe poſſunt, applices, cujuſmodi ſunt pubertati proximi, quod manifeſtò apparet ex *l.* 3. §. 1. *d. injur.* §. *pen. I. d. obl.* 4. *ex del. l.* 23. *ff. d. furt. l.* 4. §. 26. *dol. mal.* & *met. except.* & aliis. Cum itaque doli ſint capaces, ex delicto ſuo obligantur *l.* 1. *C. ſi adverſ. delict. l.* 9. §. 2. *d. minor. l.* 5. §. 2. *ad l. Aquil.* tam ex eo quod faciendo committitur, quam quod omittendo, ſi ſit ſatis atrox. *l.* 14. *d. SCt. Silan.*

Tamen in coërcitione horum delictorum Judex debet habere rationem ætatis *l.* 108. *d. R. I.* & non facilè capitis pænam eis infligere. Sic Lucanus *ſed parcimus annis, Donamuſque nefas.* Sic etiam Lepidus diſſerebat apud Tacit: *Annal.* III. *cap.* 50. *eſt locus ſententiæ, per quam neque huic delictum impunè ſit, & nos clementiæ ac ſeveritatis non pæniteat.* non malè quoque ſilia Sejani pro captu puerili, cum ad ſupplicium raperetur, apud eundem *Annal.* V. *cap.* 9. dixit: *poſſe ſe puerili verbere moneri.*

Quod de capitis pæna dixi, videtur jure vetuſtiſſimo temporibus Reipubl: liberæ non licitum fuiſſe, eâ impuberes punire ex Dione *Lib.* XLVII. ubi refert: puerum quendam prætextatum a Triumviris in proſcriptione, priuſquam ab ipſis interficeretur, togam virilem ſumere juſſum, ut ſc. jure poſſet interfici.

Plu-

Plura hac de re ſi quis deſideret, poteſt conſulere D. Ant. Matth. *de crim.* & DD. ad *tit. C. ſi qu. adv. del.*

IV. Habet tacitam hypothecam in bonis tutorum pro officii ejus rationibus *l. un.* §. 1. *C. d. rei uxor. act. l.* 20. *C. d. admin. tut. Nov.* CXVIII. *cap.* 5. *in fin.*

V. Intra pubertatem moriens matrem binubam, quæ ipſi tutores non petiit, excludit ab hereditate ſuâ *l.* 2. §. 1. *ff. qui pet. tutor.* junct. *l.* 3. *C. d. Sct. Tertill.*

VI. Non poteſt eſſe judex, *l.* 57. *d. re jud.* non modo quia judicio caret, quæ ratio affertur a Jcto in *l.* 12. §. 2. *d. judic.* ſed inſuper, quia judex imperitè judicans litem ſuam facit; ad eoque ex facto ſuo obligatur *p. I. d. obl. ex qu. del.* impubes autem ex ſuo facto ſine tutore cum effectu non obligatur: ut dictum *cap.* III.

VII. Cum non habeat legitimam perſonam ſtandi in judicio ſine tutore ſuo, hinc non poteſt eſſe actor vel reus *l.* 1. *&* 2. *C. d. his q. leg. perſ. ſtand. in jud. hab.* adeo ut ſententia contra ipſum, ſi ſolus ſit, lata, ſit ipſo jure nulla *dd. ll. l.* 54. *d. re judic. l.* 4. *C. ſi adverſ. rem jud.*

Regulariter etiam in publico judicio prohibetur eſſe accuſator *l.* 8. *d. accuſ.* idque non modo quia non habebat legitimam perſonam ſtandi in judicio; ſed quoque quia ſolus cum effectu obligari non poterat, ſupra cap. III. nam accuſa-

tores olim ſubſcriptione ad talionis pœnam debebant ſe obligare, ſi calumniæ convicti fuerint. *l. 7. pr.* & §. 1. *l.* 3. §. 2. *d. accuſ.* & *ſubſc.* & *l.* 2. *C. d. exhib.* & *tranſmitt. reis.* add. Tacit. *Annal. lib.* III. *cap.* 37. niſi injuriam ſuam ſuorumve perſequatur. exempla ſunt in *l.* 2. *ff. eod.* ſc. adhibitâ auctoritate tutoris *dd. ll.*

VIII. Poteſt ei quidem ab adverſario ſuo deferri jusjurandum, & deferens perſonam ejus approbaſſe idoneamque judicaſſe cenſetur, cujus aſſertioni religioſæ acquieſcendum cenſeret *l.* 26. *pr. d. jurejur.* verum non cum hoc effectu, ut neceſſe habeat impubes, aut ipſe jurare, aut id referre, & ſic commodè poteſt accipi *l.* 34. §. 2. *eod.*

IX. Jusjurandum parti remittere non poteſt *l.* 32. *d. jurejur.*

X. Nec etiam teſtimonium præbere *l.* 3. §. 5. *d. teſtib. l.* 19. *eod.* tam ob lubricum ejus conſilium *l. ult. d. jur.* & *fact. ign.* quam quod ſua ſponte jurare non poſſit *l.* 4. *pr. d. in lit. jur.* nec invitus cogatur *l.* 34. §. 2. *d. jurejur.*

Hac occaſione a DD. ſolet quæri: an deinceps pubes factus poſſit teſtari de iis, quæ in primâ ætate vidit? multi indiſtinctè affirmant moti ex eo quod ſervi (qui teſtes eſſe prohibentur *l.* 11. & *Auth. ſi teſtis. C. d. teſtib.*) deinde liberi facti, de iis, quæ, dum ſervi eſſent, facta & ab ipſis viſa vel audita ſunt, teſtari poſſunt *l.* 99. *d. V. S.*

Alii

Alii ſimpliciter negant ob rationem *l. ult. d. jur. & fact. ign.* & *l.* 1. *C. d. falſ. monet.* ubi dicuntur impuberes nihil intelligere. Malim ego diſtinguere inter infantiæ & pubertati proximos, & dicere illos non poſſe, nec obſt. *d. l.* 99. quippe ratio ipſa docet, aliam eſſe cauſam prohibitionis in ſervis aliam in impuberibus: hos verò poſſe, nec obſt. *d. l. ult.* & *l.* 1. hæ enim (ut aliâ occaſione monuimus) ſunt intelligendæ de valde impuberibus, vel ita in *dd. ll.* fingitur in gratiam ipſorum impuberum, quod aliis præjudicare non debet.

XI. Non poteſt torqueri *l.* 1. §. 33. *d. Sct. ſi lan. l.* 10. *pr.* & *l.* 15. *d. quæſt.* ſed tantum terreri & ferula vel habenâ poteſt cædi *dd. ll.* quid ergo an ſine tormentis debet eis fides adhiberi? reſpondet Jctus Calliſtratus in *l.* 15. *d. quæſt.* minimè: *nam ætas*, inquit, *quæ adverſus aſperitatem quæſtionis eos interim tueri videtur, ſuſpectos quoque eoſdem facit ad mentiendi facilitatem.* Seneca III. *Contro.* 20. dicit quidem: *puero teſte nihil eſſe certius.* verum id magis Philoſopho, quam judice aut Jcto dignum.

Cum tamen in crimine Majeſtatis res tanti momenti vertatur, ut Imperia & Regna eo everti poſſint, propterea ab Impp. præter alia multa iſtius judicii ſingularia etiam hoc conſtitutum eſt, ut in eo nemo ætatis, dignitatis vel alterius privilegii prætextu, adeoque nec pupillus a torturâ excuſetur. *l.* 10. *ff. d. quæſt. l.* 16. *C. eod. l.* 3. §. *l.* 4. *C. ad l. Jul. Majeſt.*

XII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

XII. Olim bona ipſorum tam mobilia quam immobilia abſque decreto a tutoribus poterant alienari *l.47. d. minor. l. 20. d. auct. tut.* Poſtea Divus Severus videns, tutores iſta facultate aliquando abuti, ruſtica prædia & ſuburbana ſine decreto vetuit obligari vel alienari *l. 1. pr. & §. ſeqq. d. reb. eor. q. ſub. tut. vel cur. &c.* prædia Urbana non prohibuit, exiſtimans ea pupillis magis nocere quam prodeſſe *l. 11. §. 5. fin. d. minor.* Donec tandem Conſtantinus nec eo ſatis cautum ipſis videns, omnes omnino eorum res ſine decreto alienari prohibuit *l.22. C. d. Admin. tut.* res tamen nullius momenti, & quæ ſervando ſervari non poſſunt, ſub hac alienationis prohibitione non continentur *d. l.22. in fin. d. reb. eor. q. ſub. tut. &c.*

XIII. Si patrem & filium ſimul hora fatalis opprimat, impubes creditur mortuus ante patrem; ſecus ac pubes, qui ei creditur ſuper vixiſſe, niſi contrarium probetur. *l. 9. §. 1. & 4. d. reb. dub.*

Præcipuis prærogativis Impuberum explicitis, ſupereſt ut ultimo loco tempus, qua ea ætas finitur, & modos, quibus probatur, in quiramus: quod capitis ſequentis erit argumentum.

CAPUT. V.

IMpuberes deſinunt eſſe ſtatim ac incipit pubertas, quæ jure novo Juſtinianeo abſque ullâ contro-

troverſiâ conſtituta eſt ſtatim ac annus decimus quartus in maribus, & duodecimus in feminis omnibus ſuis partibus eſt completus & abſolutus *pr. I. qu. mod. fin. tut. l. ult. C. quand. deſin. tut.*

Sed jure veteri eam non ſolum ex annis ſed etiam ex habitu corporis & inſpectione pudendorum in maſculis æſtimari ſolitam, videtur velle Imperator *dd. ll.* hæc quoque videtur fuiſſe mens Caſſianorum teſte Ulpiano in fragm. *tit.* XI. §. 28. Verum illud ipſum, quod Imperator nobis quaſi novum heic obtrudit, videmus jam a JCtis aliquot ſeculis ante ipſum fuisſe reſponſum ſic ab Ulpiano *l.* 5. *ff. qui teſt. fac.* & *l.* 2. *d. vulg.* & *pup. ſubſt.* etiam ab Impp. Diocletiano & Maximiano in *l.* 4. *C. qui teſt. fac.* idem quoque teſtatur Macrobius duobus locis *cap.* I. & 4. ſupra a me laudatis.

Ex his aliiſque locis factum eſt, ut multi Interpretes Tribonianum maximæ oſcitantiæ inſimulantes ſimpliciter negarint hujus quicquam in uſu fuiſſe, ſibimet perſuadentes, & aliis perſuadere conantes, hoc, tanquam improbiſſimum, nunquam in benè conſtitutâ Republica potuiſſe tolerari.

Si tamen paulò attentius animum advertamus & mores non tantum Romanorum ſed & Judæorum intueamur, luce meridianâ clarius nobis apparebit; in re, quam illi turpiſſimam credunt, nihil esſe, quod Juri Divino repugnet, vel a quo Sanctitas Romanorum abhorreat.

Deus enim Abramum juſſit, ſuum non modò,

 ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

ſed quoque ſuorum præputia circumcidere Geneſ. XVII. eaque circumciſio, uti notum eſt, apud ipſius poſteros ſemper manſit in uſu. Romana hiſtoria nobis etiam plurima ſuppeditat exempla. Sic mulieris ventrem (quod turpius videri poterat) obſtretricibus licebat inſpicere certis caſibus, de quibus vid. *l.* 1. *d. ventr. inſpic.* Cum etiam mulieribus non liceret eſſe in caſtris Romanis. Quinctil. in Mil. Mar. *ideo meretrices ab exercitu removentur, intrare caſtra feminis non licet.* Saltem legibus antiquis caſtrorum & more Camilli,(quod poſterioribus temporibus obliterato rigore veteri antiquæ diſplinæ militaris videtur in deſuetudinem abiiſſe, Tacit. *Annal.* III. *cap.* 33. & 34. etiam in ipſam aciem videntur eſſe ſecutæ per *l.* 18. *d. excuſ. tut.)* potuit autem contingere, ut præ magno amore aliqua mutato habitu virum ſequi vellet, exempla ſunt apud Val. Max. *lib.* VI. *cap.* 7. & Tacit. *Hiſtor.* I. *cap.* 48. qua de re ſi ſuſpicio oriretur, non potuit id aliter quam inſpectione dignoſci. Præterea id quod de milite, qui unum teſticulum habet in *l.* 4. *pr. d. re milit.* & ſimiliter de ſervo in *l.* 6. §. *ult. d. Ædil. Edict.* traditur, nullo alio modo expediri potuit.

Quid igitur? an ſequemur ſententiam illorum, qui ſemper, ubi ageretur de finienda tutelâ, vel ſimili modo finiendæ impubertatis, exiſtimant, genitalia debuiſſe inſpici? ne ſimiles nos faciamus iis, qui, dum vitant vitia, in contraria currunt,

runt, hic medio nos tutiſſimos ituros, arbitror. Dicamus igitur in finiendâ tutelâ, in teſtamenti factione, & in aliis effectibus impubertatis, immo in ipſis nuptiis pubertatem ex ſolis annis fuiſſe æſtimatam regulariter; ut ll. a me ſupra allegatæ & Quinctilianus *declam.* 279. manifeſtò docent. Verum certis caſibus, veluti ſi quis pater infantis diceretur, vel ſi quis quatuordecim annis major gignendi non eſſet capax, & tamen nuptias contraxiſſet, tales nuptias, ſi dein compertum hoc eſſet, potuiſſe reſcindi, & his vel aliis ſimilibus caſibus hanc inſpectionem adhibitam fuiſſe, nihil eſt, cur negemus: & hoc ſenſu accipi debet Quinctilianus *Declam.* 279. ſic ſunt ejus verba: *poſtea nudari filium, atque in conſpectu judicum conſtitui coëgiſſet: atque interrogaret; an ille maritus eſſet, qui pater fieri non poſſet.* Sic quoque commodè poteſt, & debet intelligi Ulpianus in fragm. *tit.* XI. §. *ult.* quid enim ad tutelam & ſimiles res facit facultas generandi? nam tutor lubrico ingenii non inguinis datur. Huc quoque debet referri *l. ult. C. quand. deſin. tut.* cujus potius verba quam rubrica ſunt conſideranda, cum ad eam a Triboniano forſan malè ſit relata: cujusmodo ſine numero ab ipſo ſunt commiſſa. Denique quod ad *pr. I. quib. mod. fin. tut.* vel Imperator de ſimili caſu eſt locutus; vel, quod magis arridet, Juſtinianus in *d. pr.* & in *d. l. ult.* (utriusque enim auctor eſt) parum fuit hallucinatus, dum id, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

aliquando ſpecialibus iſtis caſibus fiebat, ſemper in probatione pubertatis fieri, conſebat. Non enim Imperator noſter ſemper æquè felix fuit in cognoſcendâ verâ naturâ rerum, exempla ſunt in *pr. I. d. milit. teſtam. pr. I. d. teſtam. ord.* §. 35. *I. d. acqu. rer. dom.* §. 3. *I. d. nupt.* §. 4. *I. d. publ. judic.*

Quamvis annus duodecimus, vel quartusdecimus ſit terminus impubertatis, tamen in ea finienda non ubique eadem ratio obſervatur: alias enim iſtos annos oportet omnino exceſſiſſe, ut cum de nuptiis quæritur *Nov. C. cap.* 2. & cum de Carbonianâ poſſeſſione vel de curatoris datione eſt quæſtio *l.* 1. *C. Theodoſ. d. Carbon. Edict.* & *l.* 1. *C. Theod. d. act. cert. temp. fin.* at, ſi de teſtamenti factione agatur, pubes intelligitur, qui agit diem ſupremum anni quarti decimi vel duodecimi; ideoque ſubſtitutio pupillaris, ſtatim ac is dies venerit, finitur *l.* 5. *ff. qu. teſt. fac.*

Ea, quæ hactenus de finiendâ impubertate ſunt dicta, quidem ita ſe habent quod ad ſemiplenam pubertatem quæ ita poteſt dici reſpectu plenæ pubertatis, quæ ſanè haud contemnendos in jure habet effectus: nam 1 Jure veteri ſpadones nondum plenè puberes non poterant teſtamentum facere teſte Paulo in Sentent. *lib.* 111. *tit.* 3. quod jure novo, quo ipſis jure communi licet teſtari, videtur eſſe mutatum *l.* 5. *C. qui teſt. fac. poſſ.* 2. Alimentis uſquè ad pubertatem relictis intelligebatur plena *l.* 14. §. 1. *ff. d. alim. legat.* 3. Arrogator plena

pu-

pubertate debebat eſſe major adoptato §. 4. *I. l.* 40. §. 1. *ff. d. adopt.* 4. Ante eam non poterat eſſe Iudex *l.* 57. *d. re jud.* 5. Non excluditur a ſucceſſione parentis, licet eum apud hoſtes captum non redemerit. *Nov.* CXV. *cap.* 3. §. 13.

Hujus ſemiplenæ pubertatis terminus erat annus duodeviceſimus, quo incipiebat plena pubertas in maribus, annus quartus decimus in feminis, ut ex legibus allegatis ſatis apparet: ratio eſt, quia tunc omnes vel frigidiores, qni tarde pubeſcunt, incipiunt generare Paul. Sent. *lib.* III. *tit.* 3. & quia ingenium hominum ſtudiis vel mechanicis artibus ante id tempus raro ſatis eſt excultum, ut ſemet ipſos exhibere, vel de litibus aliorum judicare poſſint.

Non eſt tamen (ut & illud hac occaſione moneam) muliebri ſexui, quod ſibi gratuletur, & tumidas gerat cervices, quod heic antevertat viros, quadriennio quaſi eo nobilior, & dignior eſſet, quod minimè inde ſequitur: ſed vera & genuina ejus rei ratio eſt hæc: quod viri ad longè graviora & difficiliora negotia ſunt nati quam mulieres; videmus enim omni die, quo quid præſtantius eſt, eo longius tempus ad id perficiendum requiri: Sic Elephas, quod generoſiſſimum & præſtantiſſimum eſt animal octodecim menſes vel plures in utero geritur: vid. Arrian. in Indicis vel Plinium hiſtor. nat. *lib.* VIII. *cap.* 10. cum contra animalia alia ignobiliora brevius ſpatium requirant;

 ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

ſic ſatis appoſitè Macrob. Saturnal. *lib.* VII. *cap.* 7. *ut exilia poma celerius matureſcunt, robuſta ſerius. Sed ſi vis intelligere in generatione veram rationem caloris; conſidera viros longè diutius perſeverare in generando, quam mulieres in pariendo.*

Videtur autem, ut e diverticulo in viam redeamus, plena pubertas olim temporibus Reipubl. liberæ ab anno decimo ſeptimo eſſe æſtimata, ſic Agell. *lib.* x. *cap.* 28. Servium Tullium *ab anno decimo ſeptimo, quod idoneos jam eſſe Reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe,* (hoc tamen poſterioribus non ita ſtrictè fuit obſervatum, quin aliquando citius fieret, ſic Marcus Philoſophus decimo quinto ætatis anno togam virilem ſumpſit teſte Capitolino in ejus vitâ. Auguſtus decimo ſexto Sueton. in ejus vita *cap.* 8. Aliquando ſerius: ut Caligula demum anno viceſimo Sueton. in vita ejus *cap.* 10.) quando depoſita prætexta (unde antea prætextati dicebantur) ſumebant togam virilem Tacit. *Annal.* I. *cap.* 3. & *Annal.* IV. *cap.* 4. & paſſim apud Suetonium: hoc ſolebat fieri XVI. Kalend. April. Feſto Bacchi, ut ex illo Ovid. Faſt. lib. III.

Reſtat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive quod ipſe puer, ſemper juveniſque videris,
Et media eſt ætas inter utrumque tibi
Seu quia tu pater es, patres ſua pignora natos
Com-

Commendant curæ Numinibusque tuis.
Sive quod es Liber, veſtis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.

tunc eo ipſo die, qui vocabitur *dies tyrocinii*, a patre vel alio proximo in forum, & ſic in Capitolium ſolebant deduci ſolenni officio: Val. Max. *lib.* v. *cap.* 4. & Sueton. in Auguſt. *cap.* 26. tunc etiam plerumque congiarium vel ſportulas populo dabant: Sueton. in Neron. *cap.* 7. Tacit. Annal. *lib.* XI. *cap.* 29. & Plin. in *lib.* x. *Epiſt.* 117.

Hinc etiamnum ab iſto anno poſſunt in militiam adſcribi d. loco Agell. idem etiam notavit Servius ad illud Virgilii

Ante urbem pueri & primævo flore juventus
Exercentur equis.

poſſunt & pro aliis poſtulare *l.* 1. *d. poſtul.* & ob eandem rationem ſervos ſuos manumittere §. 5. *& ult. I. qu. ex cauſ. man. non. lic.*

Ut tandem hanc diſputationem ad umbilicum ducamus; diſpiciendum erit, quomodo ætas probetur: poteſt ea probari ut aliæ res per teſtes aut inſtrumenta *l.* 2. *C. d. his q. ven. ætat. impet. l.* 13. *ff. d. probat. l.* 2. §. 1. *d. excuſat. tut.* Inſtrumenta ea erant libri Cenſuales *l.* 3. *l.* 4. §. 5. *d. cenſib.* vel tabulæ profesſionum *l.* 1. *C. ſi min. ſe major. dix.* quæ a patre nato ſibi filio vel filia partim in tabulario publico, quod erat in Æde Saturni, deponebantur, partim domi aſſervabantur Apulej. 2. *Apolog.* idem teſtatur Capitolinus in

trib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

trib. Gordian. *cap.* 4. huc quoque reſpexit Juvenalis *Satyr.* IX. ubi Mæchus cum marito adulteræ jocans dicit:

Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri.

quod & Servio probatur ad illud Virgilii Georg. II.

nec ferrea jura,
Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.

Vel etiam inſtrumenta a matre vel ab avo confecta *l.* 16. *ff. d. probat.* ſc. tempore nativitatis vel paulò poſt, nam in ipſo negotio & tempore probationis non poſſunt hæ perſonæ teſtimonium ſuum interponere. *l.* 24. *ff. l.* 3. *C. d. teſtib.* & *l.* 159. *d. V.*S. Vel moribus hodiernis album eorum, qui ſacro baptismati ſunt initiati.

Hæc habui, quæ de prærogativis Impuberum dicerem, quorum multa plura eſſe non ignoro; verum ea magnâ ex parte ex iis, quæ hactenus dixi, colligi poſſunt; reliqua a me ſicco pede præteriri, quam lectori faſtidium pari, ſatius duxi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

COROLLARIA.

I.

Conſtitutio Impp. Arcadii & Honorii in l. quisquis C. ad l. Juliam Majeſt. *quâ pœna perduellium ad eorum liberos extenditur, licet admodum rigida, tamen nec exemplis, nec auctoritate, nec rationibus deſtituitur.*

II.

Dictæ pœnæ tam ad filios ante, quam poſt crimen commiſſum natos pertinent.

III.

Dolus dans cauſam contractui bonæ fidei facit eum ipſo jure nullum.

IV.

Ea, quæ per metum ſunt geſta debent reſcindi.

V.

Privatâ conventione nemo poteſt efficere, ut quis

 ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

ſuo Marte, ſuoque arbitrio privato alteri poſſeſſionem auferre valeat.

VI.

Bonæ fidei poſſeſſor, juſto titulo munitus, tam naturales, quam induſtriales fructus ſuos facit.

VII.

Tam jure Novo quam Veteri filiofam. præterito teſtamentum, non modo quod ad heredis inſtitutionem, ſed etiam quod ad legata & fideicommiſſa eſt nullum.

VIII.

Dos profectitia poſt mortem filiæ, licet exiſtant liberi, revertitur ad patrem.

IX.

In obligatione in certum diem contractâ ipſe diei lapſus ſine interpellatione hominis conſtituit debitorem in morâ.

FINIS.

AD

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

AD
Virum Nobiliſſimum
D. ADRIANUM JACOBUM van BORSSELE vander HOOGHE,
terſæ & eruditæ Diſputationis,
DE
JURE IMPUBERUM,
Auctorem & defendentem.

UT vidi, ut legi, & viſa & lecta probavi,
  Quæ dederas oculis ſcripta legenda meis,
Præſide me poteras & defenſore carere:
  Tuta patrocinio eſt tam bona cauſa tuo.
Sed cui nil Charites, nil Muſa, Themiſque negarunt,
  Me Tibi præſidium, eſt, velle negare, nefas.
Ergo juridicam peto, Te comitante, cathedram,
  Vel Tibi vel nulli convenit ille locus.
Stravit iter Tibi ſancta Themis, & caſta Minerva,
  Et Fama, in laudes officioſa tuas.
Quod facis, incœptum ſic perge urgere laborem,
  Exactor penſi ſedulus ipſe tui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Tempus erit (verſus Livor licet audiat iſtos;
  Invidiâ virtus teſte probata tua eſt.)
Cum Te ſectantem magni veſtigia patris,
  Gloria doctrinæ ducet ad aſtra comes.
Fallor? an hoc cæli ſibi jure Zelandia mater
  Depoſitum, gratâ vindicat alma manu?
In Summo imperium Tibi deſtinat Illa Senatu,
  Quem genuit quondam, tunc petitura Patrem;
Qualis erat magnus, Tibi, Magna Britannia, Morus,
  Vel Tibi Lamonio, Gallia, qualis erat.
Tunc ego delatos in Te miratus honores,
  Reſpondet votis ſi modo Muſa, canam:
Hic Vir, Hic eſt, noſtro qui dum pendebat ab ore,
  Batavicæ columen Nobilitatis erat.

CORNELIUS van ECK. P.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 F 117